6

DEL SACERDOTE

D. GENNARO RIVECCIO

Della Torre del Greco

PARROCO NAPOLETANO.





JACHIM NAPOLEONIS MURAT
UTRIUSQUE SICILIAE REGIS
INGRESSUS
IN URBEM NEAPOLIM

O D E I.

QUÆ bellicosas classica copias
In arma cogunt? quale per æthera
Murmur? repercussique colles
Insolito reboant fragore?

Spectatis! an certamine Martio
Pallas MURATI poscit acinecem?
An læta certatim coronat
Turba Ducis meritos triumphos?

Spectatis! haud hic Threicios agit
Mavors jugales, nec fera prælia
Committit; optatam sed Urbem
Ingreditur, rutilisque solem

Refert quadrigis: aureus undique
Collucet axis, fulget & aureo
Temone currus, flava pictis
Signa rotis, radiisque fulgent.

Quacumque spectes, undique Principis
Cernes tabellas: Vistula, & Eylan,
Jëna, Lubecum, Gedanum,
Clara Ducis JOACHIM trophæa:

Hic cerne cujus militiæ improbos
Tulit labores: hinc medias ruit
Victor per Urbes, dum cruenta
Cuique suum dabat ira telum:

Hic Martiales sustinet impetus:
Hinc dum lacessit prælia, provocat
Pericla primus, seque dextra,
Quam clypeo melius tuetur:

Formidolosas hinc equitum ciet
In arma turmas, remque gerit manu,
Victisque parcit, Patriamque
Consiliis opibusque firmat.

INVICTE PRINCEPS! quæ plaga, quæ mari
Abscissa tellus denegat agminum
Pugnas tuorum! quæ trophæis,
Quæve tuis vacat ora palmis!

INVICTE PRINCEPS! Parthenope tuæ
Se tradit umbræ: Tu nova Civium
Tutela: Regnantis, Patrisque
Excipe promeritos honores.

Præcinge lauro tempora; sed manus
Cum sceptro olivam jungat, & hinc procul
Mavortis amentes ruinas
Hinc age ad indomitos Britannos.

Te rara Virtus, almaque Faustitas
Præcedat, & Pax, Te Pietas comes;
Astræa, velatoque vultu
Relligio, studiumque Recti:

His eruditum dulciter artibus
Cum MATRE ACHILLEM, TE PATRE, leniter
Cratera qua Sebetus undis
Pauper adit cythara canemus.

A D

JOACHIM NAPOLEONEM MURAT

UTRIUSQUE SICILIÆ REGEM

DE NAPOLEONE I.

GALLORUM IMPERATORE, ITALIAE REGE &c. &c.

ODE II.

QUÆ Musa, Princeps, quem modo scribimus
Heroa digne laudet, & invida
Oblivione vindicatum
Carminibus super astra tollet?

Quo sidere! & qua progenitus domo!
Quot ille fortes instituit Duces,
Regesque formavit, deditque
Teuthonico, Ausonioque cœlo!

Et scuta, & enses, cordaque Martiæ
Devota morti, sceptraque fortium
Infracta, devictosque Reges,
Et trabeas, Ducibusque signa

Detracta testor: testor in Italis
Pugnata campis prælia fortiter,
Istrumque, & Albim, Vistulamque
In pelagus domitos minores

Volvisse fluctus. Scilicet ardua
Martis secutus præmia, providus
Durâ fatigatum reclinans
Corpus humo, vigil ille Martem,

Martem diurno sub Jove frigido,
Martem silenti nocte sub igneis
Spirabat astris; non ahena
Hinc tunica, sed & ense, & arte.

Armabat ingens pectus, & hostium
Frangebat iras. Hinc Mareotica
Tellus, vetusta Memphis, atque
Assyrii lapides Taboris

Sensere quid mens Gallica, quid manus
Edocta Martis sub penetralibus,
Quid vis fideli temperata
Consilio valeat sub armis:

Sensere Nili cornua turpiter
Contracta, & atro sanguine sordida,
Cum vix per obstantes Britannos
Explicuit sua victor arma:

Sensere Galli, cum populus frequens,
Sanctumque Patrum concilium edidit
Plausus, & optatum peracto
Imperio decus arrogavit.

Lux illa primum risit adorea;
Lux illa felix gaudia civium
Depromsit, & gerenda sacræ
Serta dedit geminata fronti.

Exinde quo Te fausta, NAPOLEON,
Fortuna vexit! Maxime Principum,
Quis Regna, devictasque gentes,
Quis populos memoret subactos?

At Tu, benigno qui JOACHIM beas
Nos ore, saxo inscribe: NAPOLEON
ALCIDIS ÆMULATUS ARTES
PROTULIT IMPERII COLUMNAS.